

FRANCISCI PATRICII
PANARCHIAS
LIBER NONUS
DE UNO TRINO PRINCIPIO.

Nemo igitur Peripateticus, nemo Epicureus, nemo Stoicus, nemo denique, e quasi schola impius philosophus, templum hoc sanctissimum, aut adeat, aut ineat, nisi prius se rite purgarit, et expiarit. Rite expiabitur, si animæ suæ sinceritatem restituat. Reddet autem eam sinceram, si ab ea venenum suæ sectæ, dogmatum, imbibitum abluat, aut abradat. In impiam enim animam, non intrabit sapientia quæ sequitur divinissima. Itaque solam, et puram animam huc afferat, qui voluerit hæc, et pie cognoscere, et sincere, philosophice iudicare. Alioquin confusione obruetur: neque tamen amentiam deponet. Nos ergo hoc templum sacrosanctum pia veneratione ingressi, quæramus.

Deus, quo modo, et hæc tria faciat, unire, producere, et providere, et quo modo reliqua omnia fecit. Iam diu namque affirmamus, a principio, ab uno, a Deo facta esse omnia. A principio quidem, quia Hermes ait:

Ἄν δ' γὰρ ἀρχῆς οὐδὲν. ἀρχὴ δ' εξούσενός ἡ αυτῆς.

Sine enim principio nihil. Principio autem ex nullo, nisi ex se ipso.

At principium, ut demonstratum est, unum ipsum est. Unum autem et Monas apud eundem Hermetem idem sunt. Ait namque:

Ἡ γὰρ μονάς πάντων οὖσα ἀρχὴ καὶ ρίζα, ἐν πᾶσιν ἔστιν ὡς ἂν ρίζα καὶ ἀρχή.

Namque monas, omnium cum sit principium, et radix, in omnibus est ut radix, et principium. De qua monade addit:

Μονὰς οὖν ἀρχὴ οὖσα, πάντα ἀριθμὸν ἐμπειρέχει, ὑπὸ μηδενὸς ἐμπειρεχομένη.

Monas ergo cum principium sit, omnem numerum continet, a nullo contenta.

Quem numerum omnem etiam generat.

Καὶ πάντα ἀριθμὸν γεννᾷ ὑπὸ μηδενὸς γεννωμένη ἐτέρου ἀριθμοῦ.

“Et omnem numerum generat, a nullo genita alio numero.”

Monas ergo, vel unitas, vel unum, et omnium entium numerum continet in se, ipsa a nullo continentur, et numerum omnem generat, ipsa a nullo genita. Eam, quia generatio ad patrem pertinet, Zoroaster Paternam monadem vocaverat:

Οπου πατρικὴ μονάς ἔστι. Ubi paterna monas est.

Sed quia paterna est, necessario generat. At quid? Id nimis, quod post ipsam primum est natura. Duo profecto. Duo ergo ante omnia, generat monas. Ait enim: Ταναῇ ἔστιν μονάς ἡ δύο γεννᾶ.

Et hoc ex carmine Zoroasteri (secundum vero veram Theologiam pater et filius, ut unum principium spirant Spiritum sanctum).

“Protensa est monas, quæ duo generat.”

Quasi dicat, quando monas protenditur, ultra se, et porrigitur, duo gignit, qui proximus sibi, ac primus est numerus. Duo autem hæc dyadem, nominat. Eamque apud patrem sedere ait:

Δυὰς παρὰ τῷδε κάθηται.

“Dyas vero apud hunc sedet.”

Prima ergo genitura, dum monas protenditur, producit duo, sed duitatem. At hæc, monas et duitas, sed unum, et duo, tria sunt. Ergo dum monas protenditur, in dyadem, sit trinitas. Quæ ubique splendet. Inquit enim idem:

Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς, ἡς μονὰς ἄρχει.

Toto enim in mundo fulget trias. Cuius monas est princeps.

Hæc autem trias, tria rerum principia evadit, quæ tria hæc, unum sunt principium. Quæ in mundo dominantur, ut omnia eis serviant. Ait namque alibi: